

b) Quibus impertienda?

Vd.: *Indulg.* (Infirmor. habit.)*Pius PP. VI.*

V. Fr. Patriarchae Lisbonensi.

Redemptoris et Domini Nostri Jesu Christi vices licet immeriti gerentes in terris coelestium munerum thesauros, quorum dispensationem humilitati Nostrae commisit Deus, fideli prudentique liberalitate erogare studemus, sicut ad augendam fovendamque fidelium pietatem profuturum in Domino arbitramur.

Cum itaque alias Nos per Nostras in simili forma Brevis expeditas literas fraternitati tuae facultatem solemniter benedicendi populo cum plenaria omnium peccatorum indulgentia in duabus cujusque anni solemnitatibus sub certis modo et forma tunc expressis concesserimus et indulerimus, ac alias, prout in eisdem Nostris literis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur, plurimi vero, sicut nuper accepimus, hujus Ecclesiae thesauri participes esse minime valeant, tum quia patriarchalis Ecclesia, in qua solemniter benedictio hujusmodi impertitur, non omnes Christifideles ad illam hac de causa confluentes intra suos fines amplecti potest, tum etiam quia moniales clausurae legibus adstrictae, infirmi et detenti in carceribus ad eam accedere nequeunt iisque omnibus pro eximio, quo polles salutis animarum zelo, consultum esse summopere desideres,

Nos igitur pia vota hujusmodi plurimum in Domino collaudantes eidem fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut universo populo, tuo edicto ac sonitu campanarum ejusdem patriarchalis Ecclesiae die praecedenti, tempus ac horam benedictio-

nis hujusmodi impertiendae significare cures et facias ac pari quoque sonitu dictarum campanarum, dum eadem benedictio impertitur, omnes de ea certiores reddas. Nos enim omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis ad dictam Ecclesiam patriarchalem se conferentibus, etiamsi ipsi ejus ambitum propter loci angustiam ingressi minime fuerint, sed foras circa eandem Ecclesiam praesentes tunc reperiantur, atque insuper monialibus, infirmis et in carceribus existentibus atque campanarum sonum hujusmodi audientibus, si tunc temporis flexis genibus, quatenus ab infirmitatibus ad id impediti minime sint, pias ad Deum preces pro Christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac Sanctae Mariae Ecclesiae exaltatione effuderint, eandem plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, perinde ac si intus Ecclesiam patriarchalem praedictam eidem solemniter benedictioni praesentes reperiantur, misericorditer in Domino concedimus.

In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 7. Martii 1780.

(Bull. r. Continuatio t. VI. p. 188)

c) Pulsat. Campanar.

Vd.: *Pap. bened.* (quibus etc.)

PARAMENTA.

1) Alienatio veterum.

Paramenta Sacra non possunt amplius converti in usus profanos, quia semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum, textu expresso in cap.: *Semel* 51. de Reg. Juris in 6. et concordat. cap.: *Quae semel* 4. caus. 19. q. 3. Nec ad alios usus, quam quibus dedicata sunt, trans-

ferri debent; cap.: *Vestimenta* 42. et cap.: *Ad nuptiarum* 43. de consecrat. dist. 1. Paramenta sacra, cum fuerint vetustate consumpta, incendio danda sunt et cineres in Baptisterio vel alio loco abdito et honesto condi, ne forte transeuntium pedibus conterantur, cap.: *Altaris palla* 37. de consecrat. dist. 1. Paramenta pretiosa nequeunt alienari sine justa causa et debita solemnitate; cap.: *Final. de rebus Ecclesiast. non alienand.* *Clemen.* 1. eod. tit. Extravagant. Ambitiosae eod. tit. inter communes. Immo non possunt hypothecari, oppignorari et alienari, ut patet ex variis Juribus adductis sub verb.: *Alienatio* art. 2. n. 1. ad 9.

Paramenta Sacra, quando urgente aliqua justa causa alienantur, oppignorantur vel hypothecantur, tunc non debent alienari, oppignorari vel hypothecari, nisi ad servitium et ministerium alterius Ecclesiae et Altaris et ad usus Sacros et pios; cap.: *Ligna Ecclesiae* 36. de consecr. dist. 1. Paramenta Sacra, si absque necessitate vendantur, hypothecentur vel oppignorantur, etiam ad usus sacros et pios et ad servitium alterius Ecclesiae, quamvis vendantur solum ratione materiae, qua constant et non quatenus Sacra sunt, adhuc committitur Sacrilegium propter irreverentiam, quae fit rebus Sacris, dum sine necessitate venales fiunt: non tamen committitur Simonia; quia non venduntur, quatenus Sacra sunt, pro pretio temporali: *Covarruv.* lib. 3. variar. cap. 16. n. 8. *Molina* de justitia tract. 2. disp. 240. vers. Res item Sacra, *Navarr.* in Manual. cap. 17. n. 205.; *Barbosa* lib. 3. Juris Eccles. univers. cap. 2. n. 47, et alii passim. Paramenta et Vasa Sacra, licet ex justis causis vendi possint etiam Laicis et ad usus profanos, tamen prius confracta et conflata esse debent; cap.: *Aurum* 69. caus. 12. qu. 2. cum ibi notatis, *Sanchez* tom. 2. consil. moral.

lib. 2. cap. 2. dub. 15. Quarto dico, *Barbosa* loc. cit. n. 48.; *Lezana* cit. tom. 4. verb.: *Vasa Sacra* n. 6. et alii passim.

2) Altaris.

Vd.: *Altare.*

3) Benedictio.

Vd.: *Benedictio Param. De Facultate simpl. Sacerd.*, vd.: *Olea* s. (Consecr.); *Param.* (Qualitas.); *Param.* (bened. quando amitt.)

Vasa et paramenta praeter Episcopum ab aliis quoque Sacerdotibus ab eodem Sedis ap. facultate deputatis benedici possunt.

S. R. C. 24. Aug. 1609.

Pius PP. VI.

Decet Romanum pontificem ea omnia, quae ad animarum salutem ac proximorum aedificationem constituta esse noscuntur, sua auctoritate confovere, ac quo incepta hujusmodi in dies augeantur, gratis spiritualibus ditare, prout mature rerum ac temporum circumstantiis perpensis in Domino salubriter expedire arbitratur.

Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Theodimirus Ignatius Diaz de la Vega presbyter saecularis Congregationis Oratorii sancti Philippi Neri in civitate Hispalensi, quod ipse in animarum salutem omnes cogitationes suas intendens domum cum sacello atque opportunis officinis et suppellectili optime instructam magnis sumptibus aedificavit, ut hic tum ecclesiastici tum saeculares, qui exercitiis spiritualibus ad animarum suarum utilitatem vacare exoptassent, exciperentur: Quod quidem inceptum annuentibus immo approbantibus ipsis Archiepiscopis Hispalensibus adeo excrevit, ut quottannis quadringentorum numerum excedit animarum suarum saluti ferventer vacantium concursus: quapropter nuper

Rubrica Missalis de color. Parament. Rubrica de coloribus Paramentorum non est praeceptiva sed directiva, unde non inducit rigorosam obligationem: quia praeceptum S. Pii V. latum in Bulla Missalis, ex quo Rubricae vim obligandi habent, non se extendit ad hanc Rubricam de coloribus: *Quarti* Comment. ad Rubr. Missal. qu. proem. sect. 2. punct. Colligitur 4. et par. 1. tit. 18. dub. 1.; *Suarez* tom. 3. in 3. part. disp. 82. sect. 2. §.: Secundo est observandum; *Homobonus* in examine par. 3. tract. 4. cap. 15. qu. 144.; *Diana* par. 1. tract. 14. resolut. 57.; *Aversa* de Sacrificio qu. 11. sect. 13. §.: Rursus; *La Croix* lib. 6. part. 3. n. 340. et alii notanter, quod neque etiam de materia, ex qua confici debent ipsa paramenta, aliquid reperitur statutum sub praecepto, quae tamen majoris momenti est, quam sint colores.

Potest tamen peccari venialiter, si absque rationabili causa, ex negligentia v. g. vel simili motivo, varietur communis Ecclesiae ritus circa colores. Immo si ex circumstantiis timeretur grave scandalum, v. g. si in die Paschalis quis celebraret in paramentis nigris in publica Ecclesia, non excusaretur a peccato mortali: *Quarti* cit. par. 1. tit. 18. dub. 1.; *Gobat* in Exper. tract. 3. n. 382.; *La Croix* loc. cit. n. 340. et alii. *Color autem aureus seu croceus aequivalet omni colori*, quia omnes ad illum concurrunt: *La Croix* loc. cit. n. 340.; *Quarti* cit. par. 1. tit. 18. dub. 2. qui tamen dicit, quod non videtur absolute substituendus pro colore nigro et violaceo in diebus juniorum et afflictionis.

7) Depositio ante altare.

Vd.: *Missa priv. Canon. et Dig.; Litaniae in Sabb. s.* (Depositio Param.); *Instr. Clem.* §. XIX. n. 11, 21; §. XXX. n. 20.

Canonicus hebdomad. post aspersionem aquae ben. die dominica potest in medio altaris ante gradus se spoliare Pluviali et induere casulam in eodem loco immediate celebraturus, etiam Episcopo assistente, dummodo casulam non accipiat de altari. n. 3516 ad 3 die 4. Apr. 1699.

Ad dubium: Quonam in loco Celebrans post missam ante *Libera me etc.* debeat se exuere planeta et manipulo ac assumere pluviale?

S. C. resp.: In plano ad cornu Epistolae.

Die 7. Sept. 1861.

8) Dignitarii, Abbatis etc.

Vd.: *Missa priv. Dignitarii, Abbatis etc.; Quando sumunt param. de altari*; vd.: *Usus Pontifical.*

Paramenta a Dignitatibus et Canonicis sumenda sunt juxta regulas libri caeremonialis in processionibus et solemnitatibus pontificalibus, licet Praebendae non sint distinctae: Sac. Congreg. Rit. in Alexandrina 17. Mart. 1608 in respons. ad dubium nonum, quam refert *Aldan.* in compend. canonic. resolut. lib. 1. tit. 33. n. 50. et *Barbosa* Sum. Apostol. dec. verb.: Paramenta n. 1.

9) Episcopi.

a) In Consecratione.

Vd.: *Episcopus* (Consecratio.).

b) In Missa.

Vd.: *Missa priv. Ep.*

c) Episcopus sumit de altari.

Vd.: *Usus Pontif.* (decr. Alexd. VII.); *Missa priv.* (Episcopi, Dignit. etc.)

Solis Episcopis licet sumere Paramenta de altari: Sac. Congregat. Rit. 7. Jul. 1612 apud *Gavant.* in

Rubr. Missal. par. 2. tit. 1. n. 2. in princip. et apud *Barb.* loc. cit. n. 3., ubi habetur, quod Paramenta non debent poni in altari nisi pro solis Episcopis et Cardinalibus.

Hinc eadem Sacra Congreg. Rit. in decreto generali circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum coram Sanctissimo Domino Nostro Alexandro Papa VII. emanato die 27. Sept. 1659 §. XI. statuit, quod „sacras vestes ex altari non sumant nisi pontificaliter divinis vacaturi, et ibidem §. XXI. statuit, quod in Missis privatis quoad indumenta, caeremonias, ministros, altaris ornatum et benedictionis largitionem a simplici Sacerdote non discrepent; ac proinde sacras vestes induant in Sacristia, neque utantur cruce pectorali, unico sint contenti ministro, aquam cum pelvi et urceolo argenteis sibi ministrari non sinant, duasque tantum candelas super altari adhibeant.“ Et denuo die 20. Julii 1660 in declaratione praedicti decreti ad §. undecimum, quo sacros vestes ex altari sumere Abbates privatim celebraturi prohibentur, asserentibus monachis, se hactenus tali privilegio gavisos esse, Sacra Congregatio censuit servandum esse decretum. Et ad §. XXI., quo in Missis privatis prohibentur Abbatibus quivis ritus et praerogativae ad Episcopos privative spectantes, exponentibus monachis, Abbates Cassinensis hactenus in Missis privatis adhibuisse quatuor candelas, ministros ad lotionem manuum et duos assistentes cum cotta etc., Sac. Congregat. censuit servandum esse decretum.

d) Post Obitum.

I. Quibus induitur?

Vd.: *Sacerdos def.; Sepult. Sacerd. def.*

Loto et terso corpore Episcopi clerici familiares seu alii ecclesiastici viri cum

Magistro Caeremoniarum induant illud primum vestibus ordinariis usque ad rochetum, deinde s. vestibus, quibus vivens utebatur, dum sol. erat celebraturus, hoc est: caligis et sandaliis, amictu, alba, cingulo, cruce pectorali, manipulo, stola, tunicella, dalmatica, chirothecis, planeta coloris violacei, annulo et mitra simplici ac etiam Pallio cum spinulis, si erit Archiepiscopus aut alius utens Pallio, et ponant super pectus ejus crucem aliquam, quam manibus teneat.

Caer. Ep. l. II. c. 38. n. 10.

Cf.: *Pallium* (Defuncti etc.)

II. Cui competunt?

Pius PP. VII.

Nuper Nobis exponi fecerunt dilecti filii Capitulum et Canonici Cathedralis Ecclesiae Tiburtinae, Episcopos Ecclesiae isti praepositos ab anno 1743 usque ad praesens usos gavisosque jugiter esse facultate ex indulto apostolico specialiter ipsis concessa donandi ac relinquendi suppellectiles, quae sui essent juris, sacras aequae ac profanas, favore mensae episcopalis successorumque suorum: quod quidem indultum quam magno fuerit detrimento Ecclesiae Cathedrali, liquet nunc luculentius, quum haec gravi urgetur necessitate renovandi Paramenta diuturno usu prope consumata, sed ob immanes, quas in nuperis perturbationibus publicis perpessa fuit, jacturas ad omnem prorsus novam expensam impar dignoscitur. Hinc enixis efflagitant precibus, ut per Nos abrogentur concessionem, quae a felicis recordationis tum Benedicto XIV. tum Clemente XIII. Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris ad id fuere Episcopis Tiburtinis et restituatur in pristinum constitutio sanctae memoriae Pii PP. V. etiam praedecessoris Nostri incipiens: „*Romani pontificis provi-*

dentia etc., per quam res sacrae Episcoporum sacrisque usibus per eos ad dictae, post eorum obitum Cathedralibus, quae ipsi praefuere, cedere debent Ecclesiis.

Nos igitur, audito hac in re venerabili fratre Vincentio moderno Episcopo Tiburtino, praedictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, praevia revocatione et abrogatione cujusvis indulti ac concessionis per Episcopos Tiburtinos a memoratis Benedicto et Clemente Nostris praedecessoribus ad recensitas donationes ac dispositiones faciendas quomodolibet obtentae, prout indultum et concessionem huiusmodi auctoritate apostolica tenore praesentium revocamus penitusque abrogamus, supradictam deinde Pii V. praedecessoris constitutionem iisdem auctoritate et tenore restituimus juxta petita, ac in eodem, quo primitus erat, vigore reponimus, ita ut in posterum ea sola servetur servarique debeat in omnibus et per omnia pro Cathedrali praedicta, perinde ac si aliter super illa dispensatum atque dispositum nunquam fuisset.

Volumus autem, ut praesentes litterae Nostrae suum non sortiantur effectum, nisi postquam praenominatus Vincentius Episcopus supremum diem obierit, ac ut libri ex haereditate praecedentium Episcoporum provenientes et ad usus sacros minime spectantes, commodo semper ac usui Episcoporum pro tempore reservati permaneant.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 23. Junii 1807.

(Bull. r. Continuat. t. XIII. p. 167.)

e) Pontificalia.

Ubi induit ea?

Vd.: *Tertia*; *Suffrag.*

f) Quis subministret?

Episcopus tenetur providere de illis Paramentis, quae deserviunt pro sua

persona vel pro altari majori, sed pro aliis altaribus et Sacristia ea providebuntur decenter a Capitulo: Sacra Congregat. Episcop. in Maceraten. 9. Jun. 1583 apud Nicol. in Lucubrat. tom. 2. lib. 1. tit. 26. n. 6.

Sedes Archiepiscopalis aere proprio Archiepiscopi non ex Sacristia sacris vestibus ornanda est: Sac. Congr. Conc. in Messan. apud Nicol. in Floscul. verb.: Sedes n. 3.

Non potest Episcopus uti Paramentis Cathedralis extra ipsam Cathedrali: Sac. Congr. Episcop. in Savonen. 3. Mart. 1579 et in Fundana 2. Aug. 1632 apud Nicol. in Flosculis verb.: Episcopus n. 25.

Urbevetana.

(Conc. Tr. C. 1. S. 25. de Ref.)

Venerabilis Innocentius XI. ad preces camerarii necnon officialium fabricae Cathedralis Ecclesiae in apostolico ejus brevi sub die 24. Julii 1688 edito praecepit inhibuitque, „ne de caetero quisquam quavis auctoritate vel superioritate fungens vasa, calices, candelabra et alia Paramenta Ecclesiastica auro et argento aut quavis alia materia confecta necnon quancumque suppellectilem sacram tam hactenus in dicta Ecclesia seu illius sacristia collocatam et illi etiam per quoscumque christifideles donatam et assignatam quam in posterum forsitan collocandam, donandam et assignandam aliis Ecclesiis, monasteriis, oratoriis, congregationibus et locis piis, seu quibusvis personis cujusvis gradus, ordinis, conditionis, qualitatis et dignitatis et quancumque auctoritate, superioritate et officio, praeterquam casu, quo pro tempore existens Episcopus Urbevetanus ad aliam Ecclesiam ibi aliquam functionem peracturus se conferret, commodare aut sub quovis quaesito colore etc. ex dicta Ecclesia seu illius sacristia

extrahere et asportare seu, ut commodentur, extrahantur et asportentur, permittere aut consentire audeat seu praesumat sub excommunicatione latae sententiae per contrafacientes eo ipso absque alia declaratione incurrenda.“

Verum quia modernus Episcopus auctumat, praefatum camerarium aliosque officiales dictae fabricae Ecclesiae Cathedralis teneri sacra Paramenta non ex splendidioribus et magis pretiosis sed ex decentibus et ad honorificum Episcoporum usum destinatis sibi subministrare, nedum pro celebranda missa in domesticis suis capellis atque pro ecclesiasticis functionibus ibidem peragendis, verum etiam pro caeteris functionibus, quas debet extra civitatem occasione pastoralis visitationis explere, juxta veterum consuetudinem plurium testium depositione comprobata; contra vero camerarius una cum praelaudatis officialibus innixus potissimum enunciato brevi venerabilis Innocentii XI. contendit, se non obstringi dicta sacra Paramenta Episcopo tradere, nisi quum in Cathedrali seu alia Ecclesia Urbis Veteris missam celebret aut pontificalia exerceat et ad summum etiam pro missae celebratione, quam in domesticis suis capellis peragit; ad dirimendam propterea triplicem controversiam inde exortam, cujus decisio ex decreto eminentissimi proauditoris Sanctissimi ad supremum hoc tribunal remissa fuit, tria infrascripta dubia supremo eminentissimorum patrum judicio discutienda subiciuntur.

Praetermissis iis, quae circa assertam consuetudinem necnon intelligentiam memorati brevis late in utramque partem disseruntur, quaeque ex peculiaribus facti circumstantiis potissimum pendere videntur, id unum praestat in jure adnotare, quod, licet Episcopus non teneatur de Paramentis et sacra suppellectili sibi providere, sed Canonici

Cathedralis Ecclesiae debeant ea pro pontificalibus functionibus tam in Cathedrali quam extra illam obeundis subministrare juxta sententiam, quam sequuntur *Barbat.* cons. 26. n. 5. l. 3., *Surd.* cons. 62. n. 5. et seqq., *Franc. de Eccles. Cathedr.* cap. 20. n. 37. et alii adducti per Scarfantom. ad Ceccoper. lucubr. canon. lib. 2. tit. 2. n. 5. et lib. 3. tit. 7. n. 12.,

ex resolutionibus tamen relatis per *Nicol. in floscul. verb.* „Episcopus“ n. 25. elici videtur, praefatos Canonicos teneri quidem sacra Paramenta praestare Episcopo in Cathedrali Ecclesia vel in episcopali sacello pontificalia peragenti, secus vero eidem in alia Ecclesia vel capella pontificaliter celebranti et idipsum colligi videtur ex rescripto a particulari Congregatione edito in quadam causa Casalen., ubi propositis inter caetera hisce dubiis:

I. „An capitulum ob denegationem baculi, mitrae pretiosae et pluvialis factam Episcopo occasione publicandi jubileum, aliaque ut in actis, sit puniendum et quomodo?“

II. „An stante dicta denegatione potuerit Episcopus propria auctoritate transportari facere Paramenta praedicta et sacras suppellectiles a sacristia Cathedralis ad curiam episcopalem?“

die 11. Martii 1708 responsum fuit ad I.: „Affirmative arbitrio Congregationis deputatae“;

ad II.: „Affirmative et esse restituenda capitulo, facta obligatione de illis subministrandis pro usu Episcopi in functionibus episcopalis peragendis tam in Cathedrali quam in capella episcopali“; etiam ex altero in *Alben.* „sacrorum rituum et regiminis Ecclesiae“, in qua particularis Congregatio ad LIX. et L. similem quaestionem continentia censuit, dandas esse resolutiones editas in praefata causa *Casalen.*, quemadmodum testator *Scarsanton. ad*

etiam carissimus in Christo filius Noster Carolus Hispaniarum rex catholicus hanc domum in suam et Hispaniarum regum catholicorum ejus successorum regiam tutelam adscivit eamque regalem domum per suum regium diploma 6. Junii anni 1791 vocari voluit. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebatur, moderatorem spirituales domus hujusmodi et illius sacellum ad Christifidelium inibi concurrentium spirituales utilitatem memoratus exponens nonnullis gratiis per Nos ditare summo desiderio, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur eundem exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut tempore exercitiorum spiritualibus hujusmodi augustissimum Eucharistiae Sacramentum in sacello seu Oratorio ipsius domus asservari, Christifidelium adorationi exponi ac etiam fidelem populum benedici libere ac licite possit, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus: moderatori vero spirituali ejusdem domus pro tempore existenti, ut ipse vestes sacerdotales, corporalia et alia ornamenta et paramenta Ecclesiastica ad cultum divinum, ad capellae seu Oratorii praedicti dumtaxat servitium necessaria benedicendi plenam et amplam facultatem auctoritate et tenore praedictis tribuimus et impertimur. Ad augendam porro fidelium inibi per octo saltem dies continuos spiritualibus exercitiis vacantium religionem ac animarum salutem coelestibus Ecclesiam thesauris procurandam de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi: omnibus et singulis Christifidelibus, qui in dicta domo per octo saltem dies continuos ejusmodi spiritualibus exercitiis, ut prae-

fertur, dabunt operam et interea temporis vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint ac ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus, nec non iisdem Christifidelibus in dicta domo ad pium ac salutare opus hujusmodi exercendum commorantibus, ut recitando litanias beatae Mariae virginis in capella seu oratorio praedicto indulgentiam biscentum dierum ab apostolica Sede jam alias concessam animabus fidelium defunctorum per modum suffragii applicare possint, auctoritate et tenore praedictis pariter elargimur. Tandem, ut quaecumque sacerdos aliquis saecularis vel cujusvis ordinis, Congregationis et instituti regularis missam defunctorum ad altare ipsius capellae seu oratorii pro anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad praedictum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut ejusdem Domini Nostri Jesu Christi ac B. V. Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 5. Febr. 1793.
(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 271.)

Pius PP. VII.

V. Fr. Archiep. Burgensi.

Exponi Nobis nuper fecisti, quod, ut sacra Ecclesiarum tuae dioecesis suppellectilia citius benedicantur, pro hujusmodi episcopalibus benedictionibus faciendis presbyteros subdelegare posse plurimum desideras. Nobis propterea supplicari fecisti, ut in praemissis

opportune providere ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur te specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae, ut ad tuam vitam Vicarium generalem pro tempore existentem et Canonicos Ecclesiae metropolitanae praepositos, archipresbyteros, parochos, Ecclesiarum rectores, vicarios foraneos aliosque tibi benevisos tuae dioecesis sacerdotes in aliqua ecclesiastica dignitate constitutos pro benedictione sacrae suppellectilis, in qua sacra unctio non adhibetur, subdelegare libere ac licite possis ac valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et quaecumque tribuimus ad id opportunam et necessariam facultatem.

Datum Romae die 27. Jan. 1815.

(Bull. r. Contin. t. XIII. p. 353.)

4) Benedictionem quando amittunt?

Paramenta Ecclesiastica et Sacra exerantur et benedictionem amittunt ac nova indigent, *quando ita franguntur et in eo statu ponuntur, ut non possint amplius decenter inservire usui sacro, cui fuerant deputata, aut non amplius priorem figuram retineant*: Barbosa loc. cit. n. 36.; Lezana loc. cit. tom. 4. verb. Paramenta Sacra n. 3.; Armilla verb.: Benedicere n. 3.; Angelus verb.: Benedictio n. 3. et alii. *Hinc Stola facta de Planeta benedicta debet iterum benedici, quia ad ipsam est data particularis Benedictio et est mutata forma, quae dabat esse rei*: Paul. Fuschius de Visit. lib. 1. cap. 25. n. 15.; Ugol. de potest. Episcop. cap. 32. §. 1. n. 6.; Barbosa loc. cit. n. 48.; Matthaew. loc. cit. n. 22. et alii. *Secus autem si de Stola fiat Manipulum*. Antonel. de Regimin. Eccles. lib. 1. cap. 17. n. 13.; Matthaew. Official. Curiae cit. cap. 7. n. 22. et alii.

Alba non indiget nova Benedictione, si ad eam reficiendam aliqua adjungantur, quorum additione remanet adhuc prior figura, etiamsi, quae adduntur, non sint benedicta; arg. c.: *Quod in dubiis* 3. de consecrat. Eccles. vel Altar. Accessorium enim naturam sequi congruit principalis, cap.: *Accessorium* 42. de Regul. juris in 6.; Barbosa loc. cit. n. 37.; Armilla, Angelus loc. cit. et alii. Si vero refectio fiat secundum majorem partem, tam ipsius Albae quam alterius paramenti seu ornamenti opus est nova Benedictione, quia non retinet priorem figuram et materia addita non benedicta est major priori materia benedicta; arg. cap.: *Si Ecclesiam unic. de consecrat. Eccles. in 6.* addita ibi ratione: „Ne minus dignum majus aut accessorium principale ad se trahere videantur.“ Paramenta non benedicuntur substantialiter per usum in Sacrificio mala fide factum: *La Croix* lib. 6. part. 2. n. 252. cum pluribus ibi citatis.

5) Canonicorum.

Vd.: *Canonici* (param. et locus etc.); *Vaticum. Param.* (Dignit.)

6) Color.

Vd.: *Color Param.*; *Expos. SSmi* (param.); *Velum. In Process. SSmi*, vd.: *Instr. Clem.* §. XXI. n. 8; XXX. n. 23.

Ad dubium: In missa Officii Commemor. Omn. Sanctorum, quorum reliquiae in propriis Ecclesiis asservantur, aliquibus Congregationibus concessi, quo colore uti debeat?

S. C. resp.: Rubro.

Die 17. Aug. 1771 ad 4.

Paramenta Altaris, Celebrantis et ministrorum debent esse coloris convenientis Officio et Missae diei secundum usum Romanae Ecclesiae, quae coloribus uti consuevit, *albo, rubro, viridi, violaceo et nigro*. Communis ex